

# SYNODUS DIOECESANA

SANCTÆ BENEVENTANÆ ECCLESIAE

*Ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino*

## JOANNE BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA TIT. S. PANCRATII

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

## B U S S I

## ARCHIEPISCOPO

*Celebrata juxta antiquum ejusdem Ecclesiae morem*

*Die 24 Augusti 1838.*



BENEVENTI MDCCXXXVIII.





JOANNES BAPTISTA  
MISERATIONE DIVINA  
TIT. S. PANCRATII S. R. E. PRESBYTER  
CARDINALIS BUSSI  
S. METROPOLITANÆ ECCLESIAE BENEVENTANÆ  
ARCHIEPISCOPUS

---

Decretum de Synodi aperitione.

*In Nomine Sanctissimæ , et Individuae  
Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus  
Sancti Amen.*

Cupiebamus Vener. Presbyteri hac ea-  
dem die superioris anni Vos alloqui, et post  
hebdomadas valde amaras inter pericula tran-  
sactas dulci sermone reficere a laboribus pro

communi utilitate toleratis. Potissimum decebatur etiam, multitudinem misericordiarum Dei , quarum particeps paulo ante factus unusquisque merito lætabatur , solemniori pompa in Synodo congregatos una simul magnificare. Quod autem differre prudentis consilii fuit , superna benignitate nunc valemus sine trepidatione complere.

Cum ea , quæ grassante lethali morbo contigerunt , non in angulo, sed palam gesta sint ; Vos certe eadem animo asservatis , de quibus sermonem instituere a Nobis jamdiu destinatum est. Omnes siquidem sciunt , quemadmodum animi vehementer angerentur ab atroci illo, minis ac cædibus pervicaci morbo : quo factum est ut fideles ferventius confugerent sub præsidium Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ , Sanctorumque Patronorum, veluti ad præcipuam spem salutis. Et quia Beata Virgo quoties invocatur , toties benigna intervenit pro populo Beneventano ; communibus votis exorati libenter permisimus, ut Ejus devota Immago sub titulo Matris Gratiarum eo ritu , quo solet in pubblicis calamitatibus , fidelium venerationi exponetur in hoc maximo templo. Civitatem Op-

più imitata sunt, Sanctorum Patronorum; quorum Sacras Immagine in Matricibus Ecclesiis pariter expositas venerabantur, adjutorium in communi tribulatione expectantia.

Neque præconcepta spe frustratus est aliquis. Servatus enim ordo, dum multitudine cum lacrymis compunctionis orationes assidue funderet in Ecclesiis a prima solis exorientis luce usque ad horas noctis, frequens vetustissimarum quoque sordium depositio ad pedes Sacerdotis pœnitentiæ administri, cantica suaviter resonantia vel dum Confratrum supplicationes sibi ordinatim succederent vel dum alii in viis simul orarent, ostendere satis potuerunt, an omnia proficiserentur ex sincera animi devotione. Unde uberes fructus recollecti; quorum præcipui fuere dulcedo in aegritudine, consolatio in fletibus, in tempestate serenitas, in tristitia ineffabilis spiritus recreatio: hinc prodigiosum illud levamen, quod quisque experiebatur in corpore, tantæ virtutis atque utilitatis, ut sani incolumentem servatam, ægri recuperatam valetudinem cœlesti patrocinio merito referrent acceptam. Siquidem non semel evenis-

se relatum , ut ægroti æris sonitu vel similibus signis percipientes gloriam augeri Beatæ Mariæ Virginis Matris Gratiarum , Sanctorumque Patronorum, afficerentur inusitata lætitia , et sanitatem fere insperatam recuperarent. Quia demum revelare Dei magnalia honorificum est ; non præteribimus in eorum etiam confirmationem , de quibus in similibus casibus testantur perantiquae memoriæ Confraternitatis, neminem, quoad compertum sit, ex Confratribus Congregationis S. Juvenalis M. morbo cholericō interiisse.

Non immerito igitur opportunum tempus avide expectabamus rememorandi coram Vobis tam præclara beneficia ; quamvis adeo vulgata et nota , ut nemo , nisi de præsenti semper patrocinio Beatæ Virginis Mariæ Gratiarum erga populum hunc, vel de religione non recte sentiat , ea posset inficiari. Spectabat autem sermonem ad Vos Vener. Presbyteri quam maxime intendere, utpote qui cumulata dona tunc temporis accepistis pro vestra et aliorum utilitate.

Nonne Deus in tanta rerum angustia , et perturbatione animorum tribuit vo-

bis spiritum consilii , quo factum est ; ut  
plebs instantis periculi timore agitata com-  
pesceretur extra expectationem , noxia præ-  
judicia posthaberet , atque pœnitentia po-  
tius ac bonis operibus animum adiiceret ad  
avertenda mala ? A quonam , nisi forte a  
Deo , donum fortitudinis collatum , propter  
quod Sacramentorum administratione , ani-  
marum commendatione , cadaverum conta-  
ctu ostendistis primi trepidantibus , auxilia  
afferri infirmis , et opera misericordiæ præ-  
beri absque incolumitatis suæ discrimine ?  
Quis insignem caritatem infudit , qua post  
labores diei præveniebatis alacriter per no-  
ctis tenebras desideria infirmorum , ita ut  
de eorum imminentे vitæ periculo super-  
ne præmoniti vulgo putaremini ? Cum tan-  
ta sustineretis inter probra , et maledicta ;  
dubitabat nullus , quin in pauperum leva-  
men impensuri liberaliter essetis rem fami-  
liarem , prout ultro a primis morbi indi-  
ciis spopondistis , si id etiam a Vobis illo-  
rum necessitates requisivissent .

Audientibus , quæ recte gestis , ore  
omnium prædicari , appetitus laudis non  
subrepat : didicistis enim repetita lectione

homil. 12. in Evangel. S. Gregorii Papæ ; id, quod foris ostenditur , intus a mercede vacuari ; et divus Augustinus rem secum reputans, subtiliter ajebat sermon. de pr. nat. 2. int. 10. ex cod. Cassinen. numer per Romæ editos : « *Laudari autem a male viventibus nolo, abhorreo, detestor, dolori mihi est, non voluptati : laudari autem a bene viventibus si dicam, nolo, mentior, si dicam, volo; timeo, ne sim inanitatis appetentior, quam soliditatis.* » Attamen de cœlestibus donis lætamini in Domino, et lætitia Vestra plena sit, ut æmulantes semper charismata meliora , abundantis magis. Suscipiat plebs de ore vestro mirabilia , quæ misericors Deus , Beatissima Virgine Maria , Sanctisque Patronis intercedentibus operatus est pro ea in diebus malis ; meritas inde ipsa rependat gratias , devotionem erga potentissimos Intercessores augeat , et non amplius in conversationibus vanis , in commessionibus , in impudicitiis versetur , sed in spiritu contribulato corde contrito atque humiliatio digne ac laudabiliter serviat Domino Deo.

Mores vestri nemini sint offensioni : leges Ecclesiae etiam in iis , quæ minoris momenti videntur , magni habete. Qui enim ab officio vel minimum recedit , nullo negotio viam ingreditur , quæ dicit ad iniquitatem , sicut scriptum est ps. 124 : » *declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem ;* et alio loco admonemini ps. 2. : » *apprehendite disciplinam , ne quando impascatur Dominus , et pereatis de via justa .* » Quamobrem vestra maxime interest omnem sollicitudinem adhibere in absolvendo numeris omnibus munia , quæ ratione ordinis ac beneficii ad Vos attinent ; ideoque posthabitatis de more privatis cupiditatibus progredi ex communī sententia ad perpendenda , et statuenda media fini congruentia in hac duodecima Synodo , quam eadem die 24. Augusti ad Omnipotentis Dei , et Jesu Christi Filii Ejas Domini Nostri , Beatissimae Deiparae , S. Michaelis Archangeli , B. Apostoli Bartholomaei , SS. Pontificum Nostrorum Januarii et Barbati , SS. Dominici et Philippi Nerii Confessorum , ceterorumque nostrae Civitatis Sanctorum

Patronorum ; aliorumque Sanctorum gloriam, honorem et laudem apertam esse atque inceptam volumus decernimus ac promulgamus.

## TITULUS PRIMUS

*De confirmatione Synodorum usque  
modo celebratarum.*

Dioecesanas Synodos per Nos, et a praedecessoribus nostris sancte et salubriter celebratas, pro ea tamen parte, quae his decretis non repugnet, confirmamus, et ab omnibus, ad quos spectat observari mandamus sub poenis in illis statutis et communitatis.

## TITULUS SECUNDUS

*De Praebendis Dignitatibus  
et Canonicis.*

Sacra Congregatio Tridentini Juris interpres ac vindex, cui designata methodo status Ecclesiarum Collegiatarum Dioecesis in relatione ad Sacra limina expositus est, gaudet in primis, prout ex litteris 20. Aprilis praeteriti anni, quod *Metropolitanæ Ecclesiæ Collegium divinas in Choro laudes integre et laudabiliter persolvat*. Praecipit deinde ut in recitatione horarum Ca-

nonicarum ille **Ordo** strictim retineatur ; qui a Rubricis generalibus constitutus reperitur. *Ne vero , ita Sacr. Congregatio , quidquam in illarum laudum celebratione pruetermitti videatur , cura ut in diversis Choralis Officii partibus obeundis Rubricae serventur , atque in primis ut Missae Conventuales semper in posterum decantentur.* Missae autem Conventualis nomine comprehendendi quoque illas de feria, quae decantari aequae semper debent , ut declaratum jam fuerat ab eadem S. Congregatione in responso ad Episcopum Fundanum sub die 3. Septembris 1593. verbis , quae exponuntur » *Placuit Episcopum praecepisse , ut occurrente festo duplice in Quadragesima , Quatuor Temporibus , et Vigiliis tam in Cathedralibus , quam in Collegiatis Ecclesiis duae Missae , nempe de festo , ac de feria cantentur. Hoc ut ab illis , ad quos spectat servetur , ab Amplitudine tua invigilandum erit « Missa igitur Conventualis , sive una , sive plures ex Rubrica celebrentur , ita cum cantu conglutinanda est , ut huic Choralis officii parti Canonici nullimode satisfaciant Missae privatae celebratione : Canonicos , definitur in Aretina 11. Mar-*

tii 1604. , esse cogendos ut illis diebus ; quibus ex Rubricis Missalis tenentur , duas Missas Conventuales cantent , siquidem neque ambabus , neque alteri earum satisfit celebratione Missae privatae , cum mentali applicatione . »

Animadvertant præterea oportet Canonici , omnes munieris sui partes se non plene absolvere , nisi præfatis Missis Conventualibus personaliter intersint . Verbis , quæ sequuntur , S. Congregatio locuta est Cardinali Barbarigo : *quoties ex prescripto Rubricarum duplex Missa Conventualis celebrandam sit ex mente Sacrosanti Concilii Tridentini utique personaliter interesse teneri , non obstante quacunque consuetudine etiam immemorabili.*

Illicitum esse ex præmissis scatet , partem Collegii , dum Missa Conventualis celebratur , discedere a Choro , et horas Canonicas alio loco recitare . Iste ~~sane~~ non est secundum Rubricas , d<sup>e</sup> ~~em~~ quam accurata observantia in diversis officiis Choralis partibus obeundis rogati sumus litteris Sacr. Congregationis supra landatis ; neque tollerantia vel dispensatio suffragari potest

**Chori Præfectus**, cuius est Rubricis obsequi, non eas infringere: præter quod una pars Collegii omnes Canonicas horas non expleret, et altera Missæ Conventuali personaliter non interesset, contra placitum Sac. Concilii Tridentini in usum revocandum, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili, ut ex nuper recitatis verbis S. Congregationis patet.

Sciant demum Canonici teneri; tempore Quadragesimæ concionibus interesse: sic in Nicien. 18. Nov. 1628. declaravit S. Congregatio Concilii; *Canonicos legitime non impeditos tempore Quadragesimæ quotidianis concionibus interesse debere: ideo Episcopum decretum edere posse ut Canonicis nequaquam liceat prædicto tempore ab Ecclesia abesse, nisi de ipsius vel Vicarii licentia.*

*Omnis sum de Chorali disciplina hic  
torum S. Congregatio-  
et in aliis Synodis  
corum Collegia non  
custodire: si enim  
Dominus servos-  
pere torpentes dam-  
nat; Clericos, qui omnino vel singillatim*

ab instituto desciscunt, multo acrius arguet  
in die districtæ rationis.

### TITULUS TERTIUS

#### *De Regularibus.*

Ne sæculi mores et consuetudo cum laicis virgines Deo sacras sensim sine sensu retraherent a cœlesti mentis proposito, per Synodales sanctiones Card. Archiepiscopi Ursini nonnulla statuta sunt, quæ ad Sanctimonialium disciplinam attinent; insuper earumdem statui œconomico in Diocesanis Synodis laudati Archiepiscopi satis superque consultum est. Festa *pompatica* et *sumptuosa* in Ecclesiis Monialium expresse inveniuntur reprobata; sed permissa dumtaxat sunt festa pia ac modesta quæ *religionem proderent*, *non speciem aliquam præseferrent inanem*. Occasione talium festorum speciales quæcumque invitationes sub poena Ecclesiarum earum interdicti prohibitæ fuerunt.

Et quod respicit statum œconomicum, prædictis Sanctionibus meritissimus Archiepiscopus supra laudatus morem gerens sta-

tutis Sacr. Concilii Tridentini , præscripsit et numerum Monialium Monasteriorum tunc exstantium, nempe S. Petri, et S. Victorini ; atque dotem assignavit Monialium intra numerum , nec non supernumerarum.

Quia Deus benedixit terram suam et multiplicavit in hac Diœcesi domos , qua filiæ specialiter dilectæ se virgines castas exhibeant Christo ; et quia vicissitudinem passa sunt duo illa Monasteria , quorum unum in communi naufragio deperiit: oportet ut materia quamvis alias in Synodis definita iterum perpendatur, et boco regimini Religiosarum Domorum consulatur, iterum præfiniendo numerum Monialium , et dotem taxando in praesenti congruentem. Idcirco administratores Ven. Monasteriorum Sanctimonialium exhibeant statum materialem et formalem eorumdem intra quatuor menses Reverendissimae Curiae Archiepiscopali. In Synodo habenda juxta morem antiquum hac eadem die futuro anno publicabitur, si Deus permiserit , novus Cathalogus exprimens numerum Monialium , et dotem solvendam.

Eleemosyna dotalis Monialium supra numerum praefinitur in decreto generali S. Congregationis Episcoporum et Regularium quod nempe solvi debeat in quantitate duplicata. Item serventur decreta ejusdem S. C. in Portugallen. 6 Junii 1615, et in Brundusina 15 Januarii 1616, quibus declaratum est, depositum dotis deberre esse effectivum, non autem fictitium, sive confessionatum.

## TITULUS QUARTUS

### *De cultu et invocatione Sanctorum.*

Quum inclytae Virginis et Martyris Sanctae Philumenae nomen prospero eventu invocari, et ejus festum sacris solemniis celebrari ceperit in hac Civitate et Dioecesi, percrebrente fama prodigiorum, quorum monumenta primum munificentia et numero vere admiratione digna conspeximus, dum ad ejus sacrum Corpus venerandum, ut speciali praesidio fulciremur in ingruentibus malis, accessimus a mense Julii prac-

teriti anni ; statim deliberavimus animo , praelaudatae Virginis ac Martyris, pro viribus augere cultum; maxime quia ipsius patrocinii beneficia una cum nostro Clero et populo experti sumus. Praecibus quippe Sanctae Philumene a morbi contagione serpentis jam tum Mugnani , quum illic fui- mus , tum in locis Dioecesis, quae deinde perlustravimus , tum in hac Civitate , quo redditum maturavimus , vix de morbi propagatione certiorati , et ubi inter munera Episcopalia assidue commorabamur indiscriminatim cum omni genere personarum , liberatos Nos esse tribuimus. Clerus , pro quo preces effudimus ante Cineres ejusdem gloriosae Virginis ac Martyris , Ministerii Sacerdotalis partes numeris omnibus absoluti sine valetudinis dispendio, quippe cum quatuor tantum Archipresbyteri in tota hac ampla Dioecesi et ii quidem habitualibus infirmitatibus multo ante detenti , decesserint vigente lethali morbo.

Vix ergo perlatum, a Sanctissimo Domino Nostro Papa Gregorio XVI. indultum esse officium Ecclesiasticum compluribus Diocesibus in honorem Sanctæ Philumeneae ; statim preces nostras porreximus et facul-

tatem obtinuimus decreto S. Congregationis  
 Rituū diei 27. Aprilis currentis anni , pri-  
 inam diem liberam post tertio idus Augu-  
 sti semel fixe designandi , qua a Clero Be-  
 neventano Sæculari et Regulari Dioecesa-  
 no Kalendario utente prælaudatæ gloriosæ  
 Martyris officium recitari queat ac de ea-  
 dem Sancta Missa de Communi primo lo-  
 co celebrari valeat ; dummodo Rubricæ ser-  
 ventur. Ad talium effectum concessis fa-  
 cultatibus utentes , designamus diem deci-  
 mam octavam mensis Augusti cujuslibet an-  
 ni , et mandamus ut in Kalendario nostro  
 Dioecesano servatis Rubricis subjiciatur fe-  
 stum S. Philumenæ Virginis et Martyris ,  
 ea recurrente die. Exemplaria officiorum ju-  
 xta illud per laudatam S. Congregationem  
 adprobatum , typis edentur pro commodi-  
 tate Cleri.

## TITULUS QUINTUS

*De libris improbatæ lectionis*

Decreto S. Congregationis Indicis diei  
 13. Februarii currentis anni damnata sunt  
 opera quæ sequuntur « Le livre du Peu-  
 « ple. Par F. Lamennais. decreto 13. Fe-  
 « bruarii 1838. — Histoire philosophique,  
 « politique, et Critique du Christianisme  
 « et des Eglises Chritiennes depuis Jésus  
 « jusqu' au dix neuvieme Siècle , par de  
 « Polter. decr. eod: — La Laostenia, ov-  
 « vero dell'imminente pericolo della civiltà  
 « Europea, e dell'unico mezzo della sua sal-  
 « vezza, e rigenerazione. Opera di Giuseppe  
 « Collina. decr. eod. — De l'Amour selon  
 « les Lois primordiales , et selon les con-  
 « venances des sociétés modernes ; par M.  
 « de Senancour. Quatrieme edition , avec  
 « des changemens et des additions : dec.  
 « eod. — Compendio della Storia di Car-  
 « lo Botta dal 1534. al 1789. dell'Avvo-  
 « cato Luigi Cometti: decr. eod. — Sto-  
 « ria generale dell' Italia dagli antichissimi  
 « tempi fino ai dì nostri cou brevità espo-

« sta , e considerata da Giovanni Campi-  
 « glia : dec. eod. — Specchio della sto-  
 « ria moderna Europea in continuazione del  
 « Quadro delle rivoluzioni dell'Europa del  
 « Sig. Koch prima traduzione italiana di  
 « Giovanni Tamassia : donec corrigatur.  
 « dec. eod. — Considerazioni imparziali  
 « sopra la legge del Celibato Ecclesiastico ;  
 « e sul voto solenne di Castità proposte se-  
 « gretamente ai Consiglieri e Legislatori de-  
 « gli Stati Cattolici dal Professore C. A.  
 « P. decr. S. Officij die 2. Maji 1838. —  
 « Auctor Opuscoli. Una lezione Accade-  
 « mica sulla pena di morte detta nella Uni-  
 « versità di Pisa il 18. Marzo 1836. —  
 « proib. decr. 4. Julii 1837. — Opus  
 « laudabiliter reprobavit —

Nemini , ut in aliis Synodis declara-  
 tum est , praedicta opera aut edere , aut  
 legere , vel apud se retinere licet , sub poenis  
 per Sacros Canones , Constitutionesque Apo-  
 stolicas iatis. Et si quis damnata opera in  
 manus habuerit , debet ea Ordinariis loco-  
 rum tradere sub poena citatis locis com-  
 minata.

## TITULUS SEXTUS

*De iis quae ad universas Constitutiones  
pertinent.*

Omnibus ad quos spectat , pro ea parte , quae singulos tangit , praecipimus ut suam quisque obligationem agnoscat , praecipue Canonici , et alii de Nostro Capitulo , vel Collegiarum Ecclesiarum , et Parochi et Archipresbyteri , et Beneficia obtinentes , omnesque etiam Clerici pro eo quod ad vitam et honestatem Clericorum pertinent , infra mensem , postquam impressa fuerit haec nostra Synodus , ejus exemplum penes se habere teneantur sub poena arbitrio nostro infligenda. Mandamus praeterea , ut in quilibet conferentia casuum conscientiae , et sacrorum Rituum habenda in singulis locis diocesis juxta Synodales Constitutiones , legatur et explicetur per Praefectum dictarum conferentiarum unus saltem titulus tam hujus , quam nostrarum praecedentium Syndorum.

FINIS